

Das Basler Conzil fordert die Universität auf, die in Frankfurt bevorstehende Reichsversammlung durch einige Abgesandte zu beschicken. **Basel, 1445 Mai 22.**

Hdschr.: Universitätsbibliothek Leipzig Cod. mscpt. No. 176 fol. 223.

Sacrosancta generalis sinodus Basiliensis in spiritu sancto legitime congregata, 5
 universalem ecclesiam representans, dilectis ecclesie filiis rectori, doctoribus et magistris
 universitatis studii Lyptzensis salutem et omnipotentis dei benedictionem. Sic devociones
 vestras lucide res hucusque in ecclesia gestas cognovisse credimus, ut non necessarium
 arbitremur in auribus devocionumstrarum multa disserere de diuturnis et gravibus
 laboribus, quos hec sancta sinodus pro sustinenda fide catholica et universalis ecclesie et 10
 sacrorum generalium conciliorum auctoritate, pariter cum sanctissimo domino Felice papa
 quinto pertulit, ne illa que pro fide ipsa et cunctarum salute ac reformatione ecclesie in
 capite et in membris ex consensu totius orbis catholici in duobus conciliis tam solemnibus
 Constanciensi et hoc Basiliensi gesta, ordinata et decretata sunt in nichilum ruere
 sinerentur, ne quoque prostrata auctoritate universalium sinodorum ad quam pro deci- 15
 dendis questionibus fidem concernentibus, pro edendis sacris canonibus in salubre regi-
 mine omnis vite et actionis christiane, pro unitateque inconfutis tunc Christi ecclesie
 videlicet et catholice conservanda summus semper recursus, eciam ab ipsis temporibus
 apostolorum habitus est, deinceps heresibus deformitatibus morum et scismatibus quedam
 effrenata patesceret licencia. Singularis autem nobis in ea re fuit prestolacio, ut insignes 20
 prelati et incliti principes, qui in Romano versantur imperio, primo et precipuo princi-
 patum terrenorum vestris et aliorum litteratorum virorum illuminati doctrinis atque salu-
 taribus oracionibus persuasi, ipsam dei ecclesiam in tantis iam calamitatibus et languori-
 bus constitutam efficaciter adiuvent, eius auctoritatem a Christo deo et salvatore nostro
 donatam confovendo et sustinendo ac iusticie et veritati palam et manifeste inherendo, in 25
 quam rem scimus devociones vestras multum hucusque operam contulisse. Sed nimium
 affligit universum gregem Christi, nimium amicis et conscienciis catholicorum perturbat
 longa nimis in captanda conclusione dilacio. Inde errores crescunt, veritas catholica
 obtenebratur cunctis et discipline ecclesiastice vigor confunditur, iusticia conculcatur, fides
 assidue leditur et nisi brevientur dies mali, admodum tymendum est, ne omnis fere regio 30
 ducatur in errorem. Iam itaque corda prelatorum et principum pulsent preclare vestre
 doctrine et absque ulteriori mora fidei et ecclesie succurrant et clare ac manifeste ad-
 hereant veritati, presertim in illa convencionem, quam^{a)} apud Francfordiam proximo festo
 beati Iohannis institutam intelleximus. Vester quoque cetus aliquos doctores in iure
 divino et humano eruditos ad eandem convencionem transmittat et omnibus modis sibi 35
 possibilibus operam impendant, ut non ulterius res tam necessaria saluti publice cunctorum